



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LXI. Isboethi, Saulis filij, interfectio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO LXI.

ISBOSETHUS SAULIS  
FILIUS, UNDECIM IS-  
RAELIS TRIBUUM REX,  
PER INSIDIAS INTERFICITUR.

2. Reg 4. Anno Mundi 2986. Ante Ch. 1067.

**P**incipis est, vel per se, vel per fidos amicos ex-  
cubare. Securitas multos perdidit. Abnere,  
quod narravimus, perfidiosè cæso, eiusque ne-  
ce pervulgata, *Isbosethus* Rex imbellis, animo frangi,  
regnum nutare, totaque Saulis familia in certum in-  
teritum ruere cœpit, omnium studijs ad Davidem  
spectantibus. Inclinatam *Isbosethi* fortunam, tristis  
casus in hunc modum evertit. Gemini fratres,  
*Rechab & Baana*, sub Abneris signis stipendia fecerant,  
commendati bellica fortitudine, regiæque cohor-  
tis præfecti. Hi ob noxam, nescio quam, è castris  
& Aula proscripsi, cùm Davidis sibi gratiam, Abne-  
ris exemplò, demerendam insigni aliquo beneficio  
putarent, statuunt *Isbosethum*, Davidis æmulum è me-  
dio remove. Ad facinus audendum invitabat  
spes impunitatis; nam & *Abnerem* occidisse nove-  
rant; & *Miphosethus*, Ionathæ filius, cùm ob ætatem  
(septennis erat) tum ob debilitatem corporis (altero  
namque crure, ex casu, claudicabat) non habeba-  
tur idoneus, qui succederet in regno. Sceleri per-  
ficiendo captatur tempus meridianum, quo Som-  
num suadebat æstus cæli ferventior; & ostium pa-  
latij unica servabat muliercula, cui grana tritici in  
S polen-



polentam feligenti, labor juxta calorque clauserat  
 oculos. Regij quoque custodes corporis, ceteri-  
 que Aulici, alius aliò dilapsi, quietem in umbra  
 captabant. Rex ipse suaviter in lectulo meridiaba-  
 tur. Ergo ficarij, sanguine & scelere fratres, specie  
 habitùque mercatorum, spicas manu præferentes,  
 tanquam triticum empturi (ex horreis quippe regis  
 frumenta vendebantur) penetrant in regiam inob-  
 servati, atque adeò in ipsum conclave Regis; adre-  
 punt ad lectum, offendunt dormientem; mox con-  
 fodiunt impotem sui, & obtruncant. Ocyus exinde  
 arreptâ fugâ, noctem cum die jungunt, itineri con-  
 tinuando; donec ex urbe *Manabim* [ubi sedes regia]  
*Hebronem* ad Davidem pervenirent; coram quò, pro-  
 latò *Isbosethi* capite, En, inquit, caput inimicum;  
 per hoc unum stetit, quò minus imperares securè,  
 minusque latè. Ex hoc prorupit civile bellum, cru-  
 entò septenniò, tecum gestum. Hujus diadema  
 cœlesti suffragio tibi debitum, nunc sine æmulò ce-  
 pe, Iacet *Saules* perpetuus hostis tuus: jacet *Isbosethus*,  
 paternorum hæres scelerum; & cum his tota fan-  
 guinaria Domus prostrata jacet; impio sanguine pis-  
 dextras imbuimus: meridianò somnò oppressus ty-  
 rannus, ad inferos missus est. Assertum nostra ma-  
 nu sceptrum habes, nunc extra discrimen & invidi-  
 am positum: Hebræa gens omnis in tua jura transit.  
 Id modò vide, ut ijs, per quos hanc tibi felicitatem  
 Numen æternum contulit, memineris gratiam re-  
 ferre. Dixerunt hæc, amplum facinoris præmium  
 expectantes à Davide, cujus rebus *Isbosethus*, si vi-  
 xisset, haud exiguam moram invecturus credebatur.  
 At Rex averſatus perfidiam, & atrocitatem sce-



leris, Nuntio, inquit, occisi Saulis, pro mercede, quam captabat, vitam auferri iussi; & vos proditores, vos sicarios execrandos, patiar impunes? etiam gratiam nefando sceleri reponam? vos, qui virum infontem, vestrum Regem, in suamet domo, in suo lectulo quiescentem per insidias invasistis, latronum more jugulastis: flagitij præmium à me speratis? Ita vobis Davidis nota pietas, nota justitia? In malam crucem deterrimi parricidae. Cum dicto, negotium dat satellitio, ut in nefarios irruat, & interficiat. Extemplò factum. Vis manus, pedesque præcisi, & in medio Hebronis foro, juxta fontem (exactius hæc cum Divino Scriptore memoramus) suspensi; cadavera in crucem acta; ut monumentum tam auctorum nefandi sceleris, quam pietatis Davidicæ extaret. Isbosethi caput in Abneris tumulo conditum est. Utrumque rara perfidia sustulit, rarior pietas extulit, & in amplissimo regno dissidentes, angustum spelæum conjunxit.

NARRATIO LXII.

DAVID INTEMPE-  
RANTIAM SITIS TRI-  
UMPHAT.

2. Reg. 23. 1. Paralip. c. 11. Anno Mundi 2988.  
Ante Christum 1065.

**I**sbosetho Rege per sicarios confosso, regnum ipsius in Davidem inclinare, & denique transferri cœpit. Comitij enim Hebronem urbem indi-